

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVIII - N. 2

2006

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2006

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Summi Pontificis ad eos qui sessioni plenariae Congregationis de Causis Sanctorum interfuerunt	163
Allocutio Summi Pontificis ad eos qui convenerunt ad V Congressum Internationalem Ordinariatuum Castrensi, coram admissos in Sala Clementina die 26 octobris 2006	166

EX ACTIS CONSILII

LITTERAE circulares missae omnibus Conferentiis episcopalibus (variis linguis exaratae), quoad verba « <i>actus formalis defectionis ab Ecclesia catholica</i> » (Cann. 1086, § 1, 1117 e 1124 CIC) et quaedam epistolae respicientes ipsarum litterarum	170
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	190
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	191
ALLOCUTIO Em.mi Praesidis occasione Congressus Episcoporum novorum, a Congregatione pro Episcopis parati, die 26 septembris 2006 habita	192

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Processibus » (Sessio IV)	222
Coetus studiorum « De Processibus » (Sessio V)	272
NOTITIAE	308
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	309
INDEX RERUM GENERALIS	310

COETUS STUDII
« DE PROCESSIBUS »

Sessio V^a

(diebus 14-19 octobris 1968 habita)

Diebus 14 ad 19 octobris 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. « De processibus ».

Conventui intererant Exc.mi DD.: Aurelius Sabattani, Relator, Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Damizia, Iosephus Pinto, Stephanus Kelleher, Georgius Bateh, Iosephus De Castro Nery et Ioannes Barry; Rev.mi PP.: Christophorus Berutti, O.P., et Eduardus Regatillo, S.J., necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis et Rev.dus D. Franciscus Voto, actuarius.

Tertiae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Commissionis Praeses, ceteris adunationibus autem praefuit Rev.mus Bidagor.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

a) De causis incidentalibus;

b) De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione;

c) De sententia.


Omnes Consultores, excepto Rev.mo Barry, votum de propositis quaestionibus, paraverunt. De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit, manifestando sententias Consultorum et suam quoque sententiam circa singulas quaestiones.

Adunatio I^a

die 14 octobris 1968 mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit ab Rev.mo Relatore ut proponat quaestiones examinandas.

Rev.mus Relator meminit adhuc examinandas esse aliquas quaestiones de probationibus, quae in praecedenti Sessione non absolutae fuerunt, scilicet de peritis, de recognitione iudiciali et de praesumptionibus.



ART. IV – *De peritis*

Can. 1797. (i.e. can. 1792 CIC)

Aliqui Consultores, Ciprotti sequentes,¹ novam formulam proponunt his verbis:

« Praeter casus iure statutos, iudex peritorum opera uti debet quoties eorum iudicium necessarium videatur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam ».

Rev.mus Relator admittit formulam CIC supponendam esse, utpote nimis contortam et imperfectam. At censet per formulam Ciprotti officium peritorum non recte qualificari. Dicitur, enim, ipsos inservire « ad factum aliquod comprobandum », quod commune habent cum testibus et documentis. Eorum qualificatio potius est quod ipsi procedunt ex « praeceptis artis vel scientiae ».

Quapropter Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

« Praeter casus iure statutos, iudex peritorum opera uti debet quoties eorum iudicium, praeceptis artis vel scientiae innixum, necessarium videatur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam ».

Pluribus Consultoribus non placent verba « uti debet » ideoque proponunt ut dicatur « utatur » (Rev.mi primus et secundus Consultores), vel « exquiratur » (Rev.mus tertius Consultor), vel « utendum est » (Rev.mus octavus Consultor). Dein Rev.mus tertius Consultor dicit quod si accipiantur verba « utendum est », posset supprimi verbum « iudex », ita ut impersonali modo definiatur principium de exquirendo iudicio peritorum quoties necessarium videatur.

Huic propositioni accedunt Rev.mi quartus, quintus et sextus Consultores.

Rev.mus septimus Consultor proponit: « ...vocandi sunt periti... ».

Tunc Rev.mus Relator, suam formulam deserens, proponit ut retineatur formula CIC, additis verbis: « ...examen et votum *praeceptis artis vel scientiae innixum*... ».

Haec novissima propositio Rev.mi Relatoris maioriati Consultorum placet. Sed Rev.mi octavus et nonus Consultores suppressere vellent verba « ex iuris vel iudicis praescripto », ita ut etiam partes possint iudicare de necessitate peritiae ad aliquod factum comprobandum; vel saltem, dicit Rev.mus nonus Consultor, si non placet illa verba suppressere, compleantur per clausulam « auditis partibus ».

¹ Cfr. P. CIPROTTI, *Observationes al testo del Codex Iuris Canonici*.

Rev.mus Secretarius censet suggestionem Rev.mi noni Consultoris acceptari posse, ideoque haec formula Consultoribus suffraganda proponitur:

« Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto, *etiam proponente parte*, eorum examen et votum, *praeceptis artis vel scientiae innixum*, requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam ».

Placet n. 10; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Can. 1798 (i.e. can. 1793 CIC)

§ 1:

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

« Iudicis est peritos designare ».

Sed Rev.mi nonus et septimus Consultores proponunt ut etiam partes suos peritos eligere possint.

Rev.mus sextus Consultor hanc formulam proponit quae suffragationi subiicitur:

« Iudicis est peritos designare vel approbare ».

Placet n. 8; placet iuxta modum n. 3.

Primus modus: addantur verba: «... et peritiae privatae vim iuris tribuere » (Rev.mi tertius et quartus Consultores):

Placet n. 3; non placet n. 8.

Alter modus: addantur verba: «...vel peritias aliter factas probare » (Rev.mus octavus Consultor):

Placet n. 1; non placet n. 10.

§ 2:

Rev.mus Relator proponit ne iudex indigeat consensu partium si ipse peritos designet, sed sufficit ut partes audiantur.

Consultores concordant.

Rev.mus tertius Consultor hanc formulam proponit:

« Designatio peritorum fit a iudice, auditis vel proponentibus partibus et etiam promotore iustitiae vel defensore vinculi, si iudicio intersint ».

Formula omnibus placet.

§ 3:

Rev.mus Relator proponit ut retineatur prout est in CIC.

Propositio omnibus placet.

Adunatio II^a
die 14 octobris 1968 vespere habita

Omnes Consultores, excepto Rev.mo sexto Consultore, petunt ut can. 1794 CIC supprimatur.

Can. 1799 (i.e. can. 1795 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut adhibeatur formula can. 318 Codicis Orientalis, suppresso verbo «magistratus» et mutatis, uti patet, allegationibus canonum.

«§ 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competenti auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Ad periti munus assumi nequeunt:

1° Minores;

2° Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1766;

3° Qui testes in eodem iudicio fuerunt vel futuri sint;

4° Qui in adiunctis inveniuntur de quibus in cann. 1571, 1613

§ 1, n. 4».

Propositio maiori parti Consultorum placet, sed Rev.mus primus Consultor proponit ut in § 2 adhibeatur formula CIC, id est: «Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1766, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt».

Omnibus Consultoribus placet propositio Rev.mi Relatoris quoad § 1 et propositio Rev.mi primi Consultoris quoad § 2.

Can. 1800 (i.e. can. 1796 CIC)

Rev.mus octavus Consultor proponit ut § 1 ita mutetur: «Periti recusari possunt ob quamlibet iustam causam».

Sed Rev.mus Relator notat quod recusatio haberi potest tum ex parte iudicis, tum ex partibus. Cum ergo etiam partes recusare possint peritos, melius est ut id facere possint ob causas, in iure relatas. Quapropter Rev.mus Relator proponit ut formula maneat prout in CIC.

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Can. 1801 (i.e. can. 1797 CIC)

Rev.mus septimus Consultor proponit ne iuramentum imponatur peritis, quia aliqui male accipiunt talem rationem agendi.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo septimo Consultore, et formula canonis, communi consilio, hoc modo mutatur:

«§ 1. Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi *vel formali declaratione* de munere fideliter implendo ».

Placet n. 8; non placet n. 1.

«§ 2. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi *vel declarationi periti*, sed etiam executioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuatur ».

Placet omnibus.

Can. 1802 (i.e. can. 1798 CIC)

Rev.mus septimus Consultor dicit hunc canonem supprimendum esse quia Ecclesia caret mediis coercitivis ad reparationem damnorum exigendam.

Sed alii Consultores volunt canonem retinere quia exprimit principium naturale de reparandis damnis, etsi forte in casu particulari ab aliquibus spernatur.

Rev.mus Relator proponit ut formula canonis, initio, ita mutetur:

« Post acceptionem muneris, si periti etc... ».

Placet n. 8; non placet n. 1.

Can. 1803 (i.e. can. 1799 CIC)

§ 1:

Rev.mus Relator proponit ut maneat prouti est.

Placet omnibus.

§ 2:

Rev.mus Relator proponit ut § 2 nova introducatur ad mentem art. 147 Instr. *Provida Mater*.

« Perito remittenda sunt acta causae, quae a iudice videantur utilia ad munus exsequendum ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « remitti possunt » loco « remittenda sunt ».

Suffragatur placeatne formula Rev.mi Relatoris:

Placet n. 7; non placet n. 2.

§ 3:

Rev.mus Relator proponit ut maneat prouti est (§ 2 in CIC), adhibito verbo « relationem » loco « votum ».

Propositio omnibus placet.

Can. 1800

Rev.mi quartus et septimus Consultores proponunt ut can. 1800, qui agit de peritia ad calligraphiam pertinente, omittatur. In canone praecedenti vero (§ 2), dicatur quod perito remittenda sunt non tantum acta causae, sed etiam alia documenta quibus egere potest ad suum munus exsequendum.

Propositio omnibus placet, ideoque § 2 canonis praecedentis ita completur:

« Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia, quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exsequendum ».

Can. 1804 (i.e. can. 1801 CIC)

Rev.mus quartus Consultor proponit ut § 1 deleatur, quia illa norma implicite continetur in § 2.

Propositio omnibus placet.

Idem Rev.mus quartus Consultor proponit ut aliae duae §§ inverso ordine disponantur ita ut 3^a § stet primo loco et 2^a § stet secundo loco.

Sed Consultores nolunt hanc inversionem inducere.

Canon ergo constabit ex duobus illis §§, his tantum mutationibus inductis: in 1^a §, scilicet, dicatur « relationem » loco « sententiam »; in 2^a § dicatur « conclusiones » loco « sententia ».

Can. 1805 (i.e. can. 1802 CIC)

Omnes Consultores concordant ut canon retineatur prout est.

Adunatio III^a
die 15 octobris 1968 mane habita

Can. 1806 (i.e. can. 1803 CIC.)

Si periti inter se discrepent Codex vigens praebet remedium exquirendi suffragium peritioris vel novos peritos adhibendi.

Rev.mus primus Consultor proponit ut aliud remedium praebeatur, ut nempe iudex decernat novam peritiam ab eisdem peritis discrepantibus communi consilio faciendam.

Propositio omnibus placet, ideoque in fine § 1 huius canonis haec verba addenda sunt: «... aut novam peritiam a prioribus peritis communi consilio conficiendam decernere».

Ob hanc additionem in § 1 factam, Rev.mus quartus Consultor censet § 2 esse reformandam, quia «eadem facultas» comprehendit etiam possibilitatem novae peritiae «a prioribus peritis communi consilio conficiendae». Iamvero, dicit Rev.mus quartus Consultor, illi priores periti *suspecti* vel *non idonei* sane dimittendi sunt.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo quarto Consultore.

Alii Consultores vero dicunt utique, per se, quando dicitur «eadem facultas», includitur etiam illum novum remedium, sed praevideri potest iudicem tali remedio usum esse tantum in casu quod alia duo remedia impossibilia evadant, ut puta in locis missionum.

Ideoque Rev.mus Secretarius proponit ut formula mutetur hoc modo:

«Quoties periti post designationem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint, iudicis est secundum propriam discretionem ad mentem § 1 agere».

Rev.mus quintus Consultor vero proponit: «Quoties periti ... perspecti fuerint, eadem norma servanda est a iudice».

Propositio Rev.mi quinti Consultoris omnibus placet.

Can. 1807 (i.e. can. 1804 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut maneat prout est.
Consultores concordant.

Can. 1808 (i.e. can. 1805 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut maneat prout est.
Placet n. 10; non placet n. 1.

ART. V – *De accessu et de recognitione iudiciali*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut remissio fiat ad ius civile circa normas de accessu et de recognitione iudiciali.

Propositio Rev.mi octavi Consultoris nemini placet.

Can. 1809 (i.e. can. 1806 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut adhibeatur formula Codicis Orientalis, qui addit § 2. Notandum tamen est quod § 2 in nostro Codice non potest continere allegationem can. 1824 (qui correspondet can. 347 Cod. Orient.). Nos enim remissionem fecimus ad ius civile quod attinet ad art. de productione documentorum et actione ad exhibendum (cfr. can. 1762 recognitum). Ideoque formula § 2 redigenda erit his verbis.

« Si iudex iusserit ut pars vel tertius rem tribunali exhiberet, parte vel tertio recusante servetur praescriptum iuris civilis de parte recusante ad normam can. 1762 ».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Can. 1807

Omnes Consultores, excepto Rev.mo quarto Consultore, assentiuntur propositioni Rev.mi Relatoris ut can. 1807 supprimatur, quia refert principium notum, i.e.: quod iudex potest per se etiam per alium facere potest.

Can. 1808

Item Consultores concordant pro suppressione can. 1808, cuius substantia transfertur ad can. 1811 recognitum.

Can. 1810 (i.e. 1809 CIC)

Maneat prout est.

Ita omnes Consultores.

Can. 1811 (i.e. can. 1810 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut canon maneat prout est, additis in fine his verbis: « Potest quoque peritos adhibere » (omnibus placet).

Can. 1812 (i.e. can. 1811 CIC)

Maneat prout est.

Ita omnes Consultores.

ART. 6 – *De praesumptionibus*

Rev.mus Relator quaerit num inscriptio huius Articuli complenda sit hoc modo: «De praesumptionibus *et de indiciis*». Suo iudicio haec immutatio inducenda est et probat ex Instr. *Provida Mater* (in qua legitur «*De indiciis* seu de praesumptionibus»), ex auctoritate Pp. Pii XII (in suis allocutionibus de certitudine morali saepe verbum *indicium* recurrit) et ex Legabartoccetti (qui asserit quod indicia «tantam vim probandi continent non semel ut constituent vel semiplenam vel plenam probationem»).

Plures Consultores vero nolunt hanc immutationem in inscriptionem Articuli inducere, quasi indicia considerata essent ut species distincta a praesumptionibus.

Tunc Rev.mus Relator consentit ut nihil immutetur in inscriptione Articuli, etsi in ambitu ipsius Articuli aliquis canon de indiciis inserendus sit.

Can. 1813 (i.e. can. 1825 CIC)

Maneat prout est.

Ita omnes Consultores.

Quaestio adhuc fit de loco huius canonis. Rev.mus Relator enim dicit hunc canonem esse mere didascalicum, qui non definit aliquam phasim processualem, quapropter, si fieri contingat liber *De verborum significatione*, canon amandandus esset ad novam sedem.

Fere omnes Consultores concordant cum Rev.mo Relatore, exceptis Rev.mis primo et quinto Consultoribus.

Can. 1814 (i.e. can. 1826 CIC)

Rev.mus octavus Consultor censet quod si de indiciis aliquid dicendum est, iam in praesenti canone posset id fieri. Ideoque proponit hanc mutationem: «... hoc est contra factum *seu indicium* quod est praesumptionis fundamentum». Ratio est quia indicium, iuxta Rev.mum octavum Consultorem, non est nisi fundamentum praesumptionis.

Alii Consultores negant indicium esse fundamentum praesumptionis, quapropter nolunt immutationem canonis admittere.

Canon ergo manet prout est in CIC.

Can. 1815 (i.e. can. 1827 CIC)

Rev.mus Relator proponit ut supprimatur altera pars huius canonis («qua non probante, sententia fieri debet in favore partis pro qua stat praesumptio»). Ratio est quia, parte adversa non probante, posset iudex supplere probationes, quae exigere possunt contrariam decisionem.

Rev.mus decimus Consultor consentit cum Rev.mo Relatore.

Rev.mi tertius et sextus Consultores petunt ut canon servetur prout est in CIC, quia ius subiectivum partis tueri debet.

Em.mus Praeses proponit ut canon servetur, additis his verbis: « nisi iudex ad normam can. 1618 probationes ipse supplet ».

Suffragatur propositio Em.mi Praesidis:

Omnibus placet.

Can. 1816 (i.e. can. 1828 CIC)

Canon maneat prout est.

Ita omnes Consultores.

Deinde Rev.mus Relator proponit duos canones de indiciis:

a) « Quando ius praescribit de aliquo favore in casu dubii, ut praesumptioni locus fiat, dubium debet esse prudens, seu probabili fundamento nixum » (cfr. art. 172 Instr. *Provida Mater*).

b) « Iudex attendat quoque indicia, quae si habeantur multiplicia, intime inter se cohaerentia et univoca, ad probationem constituendam multum conferre possunt ».

Circa formulam a) Em.mus Praeses, Rev.mi Secretarius et tertius Consultor notant favores habere diversas extensiones pro diversitate materiae, ideo non placet norma quae sit generalis pro omnibus casibus.

Consentit Rev.mus Relator, qui revocat suam propositionem circa formulam a).

De canone sub formula b) Rev.mus sextus Consultor censet esse superfluum, quia est proprium iudicis indicia attendere, quin expresse dicatur.

Ceteris Consultoribus vero canon placet, dummodo formula melius expoliatur.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut canon ad haec tantum verba restringatur: « Iudex attendat quoque indicia quae ad probationem constituendam multum conferre possunt ».

Propositio Rev.mi septimi Consultoris non placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittatur verbum « multiplicia »; quandoque enim etiam pauca indicia conferre possunt ad probationem (placet omnibus).

Rev.mus tertius Consultor non vult verbum « univoca » quia est nimis restrictivum, quapropter Em.mus Praeses proponit ut dicatur « non aequivoca » loco « univoca » (placet omnibus).

Suffragatur placeatne haec formula:

« Can. 1817. Iudex attendat quoque indicia, quae si habeantur intime inter se cohaerentia neque aequivoca, ad probationem constituendam multum conferre possunt ».

Placet n. 10; non placet n. 1.

Adunatio IV^a

die 15 octobris 1968 vespere habita

ART. VII – *De iureiurando partium*

Rev.mus octavus Consultor et, ex parte, Rev.mus decimus Consultor proponunt suppressionem cann. 1829-1836 CIC, qui agunt de iureiurando partium.

Rev.mus Relator consentit et sequentes causas dat pro suppressione illorum canonum:

a) haec disciplina est vestigium iuris antiquissimi, cum per aliquid medium religiosum lites solvebantur;

b) praesumptio qua fidelis salutem animae periurio praeferit, nunc temporis potest parum urgeri;

c) iurisprudencia recens S.R. Rotae omnino ignorat applicationem horum iuramentorum;

d) limites impositi iur. suppletorio in can. 1830, et iur. decisorio in can. 1836, exclusio harum probationum in causis nullitatis matrimonii et ordinationis, reddunt haec iuramenta rarissime applicabilia.

Ne vero huiusmodi institutum omnino deleatur, si alicubi inserviat, Rev.mus Relator proponit hanc formulam, a Rev.mo octavo Consultore paratam et ab ipso leviter immutatam:

« Sicubi iusiurandum suppletorium, aestimatorium aut decisorium adhuc utiliter adhibentur, disciplina hucusque vicens servari poterit, facta Conferentiae episcopali facultate eandem disciplinam adiunctis loci aptius et penitius accommodandi ».

Formula omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore, qui vellet canones de iuramento partium in novo Codice retinere.

CAPUT VI – *De causis incidentibus*

Ante omnia Rev.mus Relator proponit aliquas quaestiones generales circa Caput *De causis incidentibus*.

1. *Conveniatne totum Caput abolere*

Dubium proponitur a Rev.mo decimo Consultore, qui allegat verba Wernz-Vidal: «Iure praecedenti speciales normae de causis incidentibus proponendis et definiendis non erant constitutae»,² et anceps est utrum huiusmodi normae sint relinquendae Conferentiis episcopalibus an iuri civili patrio.

Finis esset celerior progressus iudicii.

Rev.mus Relator censet *negative respondendum esse*.

a) *sive quoad abolitionem*: nam, cum quaestiones incidentes de facto sint ineluctabiles, melius et celerius proceditur si cognoscitur via percurrenda, quam si deficit quaelibet semita;

b) *sive quoad delegationem* factam iuri particulari: nam in praesentem materiam nullum influxum habent adiuncta locorum, indoles et cultura. Ideo nulla ratio habendi diversas leges.

2. *De loco opportuniore huius materiae*

Circa hanc quaestionem sequentes propositiones habentur:

a) Rev.mus octavus Consultor memorat quod in Codificatione anni 1917 Noval quaesivit nonne magis expediret agere de causis incidentibus inter processus speciales. Et ipse ad hanc sententiam accedit.

Rev.mus Relator tamen censet quod processus speciales qualificentur ratione materiae (processus matrimonialis, sacrae ordinationis, etc.), dum causa incidens quodlibet obiectum habere potest, et non qualificatur nisi ob relationem ad causam principalem. Proinde intra cancellos processuum specialium videtur pati constrictionem.

b) Instr. *Provida Mater* ponit hunc titulum post discussionem causae et ante tractationem de sententia. Ita proponit Rev.mus quintus Consultor. Ita suadet quoque Cabrerios de Anta.³ Huius transpositionis haec ratio traditur: ne processus evolutio interrumpatur.

Attamen etiam sedes proposita, dicit Rev.mus Relator, interrumpit iter processus; et perraro causae incidentes oriuntur inter conclusionem in causa et sententiam. Ideo solutio non relevat.

² WERNZ-VIDAL, *De Processibus*, 496.

³ *Comentarios al Código*, Vol. III, p. 581, nota 1.

c) Rev.mus Relator proponit ut Tit. *De causis incidentibus* collocetur post Tit. *De executione sententiae*. Ita aptius apparebit quod incidens respicere potest quodlibet stadium itineris processualis.

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris sub c):

Placet n. 7; non placet n. 4.

3. *Utrum Titulum inscribi debeat: « De causis incidentibus », an: « De quaestionibus incidentibus »*

Rev.mus octavus Consultor alteram formulam proponit, et allegat Chiovenda.

Rev.mus Relator censet servandam esse praesentem formulam. Nam, suo iudicio, causa est illa quaestio quae evehitur ad gradum tractationis iudicialis. Et ipse Chiovenda vocat causam praeiudicalem « aliquod logicum antecedens controversum, incidentaliter definitum ».⁴

Lex processualis has solummodo quaestiones respicit, non alias quae non subiiciuntur iudicio tribunalis, et sunt innumerae.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Deinde Rev.mus Relator refert aliqua principia quae, suo iudicio, Consultores prae oculis habere debent in recognitione canonum de causis incidentibus, hoc est:

a) conceptus causae incidentis amplificandus ratione stadii processualis quo proponi potest;

b) causae incidentes reducendae et breviandae;

c) introducenda dispositio art. 188 Instr. *Provida Mater*.

Rev.mus Relator, ab hac novissima necessitate incipiens, hunc canonem proponit qui sit can. 1837:

« Parti legitime instanti iudex satis facere tenetur per decretum. Si vero pars non acquiescat, et quaestio mota peculiarem indagacionem exigat, locus fieri potest causae incidenti ».

Sed aliqui Consultores censent hunc canonem non esse omnino proprium huius capituli, quia respicit quamcumque relationem inter partes et iudicem. Canon si poneretur hic, aliquam confusionem gignere posset.

Rev.mus Relator concordat et renuntiat suae propositioni.

⁴ *Principi di diritto processuale civile*, § 93, II.

Can. 1837

Rev.mus Relator refert fere omnes Consultores in suis votis crisi subiicere praesentem formulam can. 1837 CIC, eo quod sit nimis restrictiva et non comprehendat causas quae irrepere possunt ante citationem et post sententiam.

Aliqui Consultores vellent canonem suppressere eo quod contineat definitionem (Rev.mi decimus et octavus Consultores). Sed Rev.mus Relator animadvertit canonem exprimere aliquam phasim processualem, cuius essentia praeteriri non potest, si tela iudiciaria debet integre exponi.

Rev.mus Relator, colligens suggestiones a Consultoribus in suis votis factas, hanc novam formulam proponit:

«Ad causam incidentem devenitur, quoties, oblato saltem libello litis introductorio, a partibus vel ab aliis quorum interest, haud exclusis promotore iustitiae et vinculi defensore, proponitur quaestio, cuius solutio momentum habet relate ad sententiam definitivam pronuntiandam, vel ad eandem sententiam executioni mandandam».

Rev.mus septimus Consultor proponit ut formula ita melius redigatur:

«Quoties oblato saltem libello..., vel ad eandem sententiam executioni mandandam, locus *fit causae incidenti*».

Formula Rev.mi Relatoris, cum emendatione Rev.mi septimi Consultoris, omnibus placet.

Can. 1838

Rev.mi tertius et decimus Consultores volunt ut edicatur *coram quo iudice* proponenda sit causa incidens et optant haberi ad hoc competentem iudicem quoque instructorem.

Rev.mus Relator concordat quoad primum. Non concordat vero quoad secundum, quia, dicit ipse, admissio causae incidentis, et magis adhuc concordatio dubiorum in causa incidenti est res magni momenti et valde difficilis, imo periculosa pro recta administratione iustitiae. Ceterum etiam Instr. *Provida Mater* (art. 189) reservat Collegio huiusmodi competentiam et item Normae S.R. Rotae (art. 113).

Quapropter Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Causa incidens proponitur *per libellum vel ore*, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, *coram iudice competenti ad eandem causam definiendam*».

Sed etiam Rev.mi primus, sextus et quintus Consultores instant ut habeatur competens iudex instructor vel ponens.

Tunc Rev.mus Secretarius proponit ut formula Rev.mi Relatoris compleatur per haec verba:

«... vel saltem coram ponente tribunalis collegialis».

Formula Rev.mi Relatoris cum emendatione Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Rev.mus octavus Consultor notat, quod in hac nova formula suppressa est clausula: «... et servatis, quoad eius fieri poterit, regulis cann. 1706-1725 statutis»; et quaerit utrum iudex teneatur illis regulis necne.

Rev.mus Secretarius respondit quod ipsi iudices videbunt illaene regulae servandae sint.

Can. 1839

Rev.mus Relator concordat cum multis Consultoribus, qui censent formulam Codicis esse nimis prolixam. Concordat quoque cum Rev.mo sexto Consultore circa necessitatem causas incidentes coarctandi. Ideoque hanc formulam proponit:

« § 1. Iudex, recepta petitione, auditis partibus aliisque quorum interest, examinare debet utrum proposita causa incidens ita sit connexa iudicio ferendo vel lato, sive substantive, sive processualiter, et ita sit solido fundamento innixa, ut peculiarem tractationem mereatur. Si res ita se habeat, instantiam admittat: aliter decreto suo eam reiiciat.

§ 2. Si vero iudicet causam propositam necessario non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat, ut de ea habeatur ratio die propositionis causae ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittantur verba: « aliisque quorum interest ».

Propositio Rev.mi primi Consultoris non placet.

Rev.mus quartus Consultor dicit verba « sive substantive sive processualiter » esse superflua.

Omnes concordant cum Rev.mo quarto Consultore.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in § 1 addatur: « ... eius autem decisio inappellabilis est ».

Rev.mus Relator dicit Rev.mi tertii Consultoris talem additionem esse iniustam. Nam ille cui reiicitur libellus, ius habet recurrendi (can. 1709, § 3). Insuper denegatio pertractandi causam incidentalem, si illa causa est vitalis momenti, « habet vim definitivae », et ideo appellari deberet (can. 1880, n. 6) iuxta generalia principia.

Rev.mus octavus Consultor, quoad § 2, dicit remissionem decisionis causae incidentis *ad diem propositionis causae principalis* laedere ius partis quia hoc modo deest remedium contra decisionem iudicis.

Alii Consultores negant talem laesionem iuris partis quia a decisione causae incidentis appellari potest una cum sententia.

Adunatio V^a
die 16 octobris 1968 mane habita

Can. 1840

Rev.mus decimus Consultor censet omnes causas incidentes, in processu canonico, summarie solvendas esse, ideoque semper decreto decidendas, salvis praeceptis iuris naturalis.

Rev.mus Relator notat id, primo ictu, apparere posse novationem utilem ad tempora brevianda. Sed considerandum quoque est, dicit Rev.mus Relator, nonnullas causas incidentes (inter quas comprehenduntur etiam causae praeiudiciales) esse implicatissimas et momentosas: frequenter causae principales de facto resolvuntur in incidentibus. In huiusmodi incidentibus, si dubia non concordentur et si singula non discutiantur, fit tantummodo confusio magna.

Ad formam canonis quod attinet, fere omnes Consultores animadvertunt correlativos articulos Instr. *Provida Mater* accuratiores esse.

Rev.mus Relator, Rev.mum secundum Consultorem sequens, hanc formulam proponit:

«§ 1. Quaestione incidenti admissa, iudex seu collegium, audita altera parte, promotore iustitiae et defensore vinculi, si intersit, ante omnia, statuat utrum solvenda sit, attenta eius natura et gravitate, servata forma iudicii per interlocutoriam sententiam, an, non servata forma iudicii, per merum decretum; quae decisio inappellabilis est (ex art. 190 § 1).

§ 2. Si quaestio incidens per sententiam solvi debeat, concordentur dubia, et eae servantur regulae quae de causa principali statutae sunt, exceptis terminis, qui praefiniantur brevissimi (art. 191)».

§ 3 prout in CIC.

Circa § 1 sequentes animadversiones habentur:

a) Rev.mus sextus Consultor vellet ut causae incidentes, ante citationem admissae, semper per decretum solverentur. Causae vero post citationem admissae solvi deberent per decretum vel per sententiam, prout casus fert, et quidem a solo iudice ponente cum tribunal sit collegiale.

b) Rev.mus octavus Consultor proponit: «... iudex seu collegium, *auditis quorum interest* ...».

c) Rev.mus tertius Consultor proponit: «... iudex *vel* collegium» loco «iudex *seu* collegium».

d) Rev.mus nonus Consultor proponit: «... iudex unicus vel Praeses consentiente tribunali...».

e) Rev.mus quartus Consultor animadvertit praesentem canonem coordinandum esse cum can. 1838 recognito, ubi dicitur quod causa incidens proponi potest etiam «coram ponente tribunalis collegialis». Nam ipsi iudici, qui admittit causam incidentem, tribui debet potestas statuendi quatenam forma causa solvenda sit.

f) Rev.mus quintus Consultor proponit ut uniantur § 1 canonis 1839 et § 1 praesentis canonis, ita ut iudex, eodem decreto, et admittat et statuatur quatenam forma causa solvenda sit.

g) Rev.mus septimus Consultor proponit ut in praesenti canone dicatur tantum quod iudici competit statuere quatenam forma causa solvenda sit; in processibus specialibus postea dicatur *quinam* sit iudex competens.

Consultores, post hanc discussionem, committunt Rev.mo Relatori ut novam formulam redigat, prae oculis habitis praesertim propositionibus Rev.orum quarti et quinti Consultorum.

Can. 1841

Rev.mus Relator censet dispositionem huius canonis sat miram esse, quia iudex qui de aliqua re pronuntiavit, bene vel male functus est munere suo, ideoque sententiae interlocutoriae correctio aut revocatio non deberet admitti.

Rev.mus Relator ergo proponit:

- *in via principali* suppressionem huius canonis;
- *in via subordinata*, si Consultores contrarium sentiant, formulam Codicis Orientalis, can. 365, addito verbo «vel decretum» post «sententiam».

Alii Consultores nolunt suppressionem huius canonis, censentes sententiam interlocutoriam vel decretum, novis factis vel probationibus intervenientibus et auditis partibus, corrigi vel revocari posse, quia ratio generalis processus in casu attendenda est potius quam actus singulus illius sententiae interlocutoriae vel decreti, quae, ex se, irreformabilia essent.

Quoad formulam, placet Consultoribus formula Codicis Orientalis (can. 365), his mutationibus inductis:

- post verbum «sententiam», addatur «vel decretum»;
- dicatur «reformare», loco «corrigere».

Committitur Rev.mo Relatori ut novam redactionem curet omnium canonum de causis incidentibus, iuxta placita hucusque expressa, ita ut in proximis adunationibus examinari possit.

ART. 1 – *De contumacia*

Rev.mus Relator proponit aliquas quaestiones generales de contumacia.

1. *Num conceptus contumaciae funditus renovandus sit*

a) Rev.mi primus, secundus et sextus Consultores censent institutum contumaciae servandum esse prouti in Codice.

b) Rev.mi tertius, quartus, octavus et decimus Consultores tenent contumaciam non considerandam esse uti inoboedientiam, sed ut meram negligentiam, ex qua praesumi potest partem iuri sese defendendi renuntiasse. Penitus ratio delicti a contumacia expungenda est.

c) Alii Consultores proponunt ut tantum substantia huius instituti, quae est absentia processualis, servetur et dentur normae quibus evolutio ritus processualis obtineri possit, non obstante tali absentia.

Post aliquam discussionem omnes Consultores accedunt ad hanc tertiam propositionem sub c) relatum, quae, concludit Rev.mus Relator, importat ut tollatur sive nota delicti, sive conceptus frangendi voluntatem inoboediendi, sive conceptus despectus in iudices, et tantum maneat obligatio respondendi in iure Ecclesiae.

2. *Num vox « contumacia » sit servanda*

Consultores unanimiter censent vocem « contumacia » proscribendam esse, ideoque variae habentur propositiones circa inscriptionem huius articuli:

– Rev.mus tertius Consultor proponit: « De absentia partis conventae vel actoris ».

– Rev.mus octavus Consultor proponit: « De iudiciis absente una vel utraque parte ».

– Rev.mus quartus Consultor proponit: « De absentia partium ».

Discussio aliqua fit circa propositionem Rev.mi tertii Consultoris, quae fere omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor vellet talem inscriptionem complere hoc modo: « De absentia partis conventae, vel actoris *vel utriusque* ».

Sed Rev.mi Secretarius et Relator animadvertunt absentiam utriusque partis spectare ad aliquos processus tantum, ad processus nempe matrimoniales et ad processus poenales, quapropter de completionem inscriptionis, per verba « vel utriusque », quaestionem remitti posse ad discussionem processuum specialium.

Suffragatur propositio Rev.mi tertii Consultoris:

Placet n. 8; non placet n. 3.

3. *De loco tractationis absentiae processualis*

Rev.mus Relator censet tractationem de absentia processuali ponendam esse hoc loco, quia est inconveniens in quod *incidit* (c. incidens) regularis evolutio ritus processualis.

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:

Omnibus placet.

Adunatio VI^a

die 17 octobris 1968 mane habita

Rev.mus Relator praebet Consultoribus schema canonum de causis incidentibus:

«*Can. 1837: Quando causae incidenti locus fiat.*

Quoties, oblato saltem libello litis introductorio, a partibus proponitur quaestio, cuius solutio momentum habeat relate ad sententiam definitivam pronuntiandam, vel ad eandem sententiam executioni mandandam, locus fieri potest causae incidenti.

Can. 1838: quomodo proponatur causa incidens.

Causa incidens proponitur per libellum vel ore, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

Can. 1839: de acceptance vel reiiectione causae incidentis.

§ 1. Iudex unicus vel tribunal collegiale, recepta petitione et auditis partibus, examinare debet utrum proposita causa incidens ita sit connexa iudicio ferendo vel lato, et ita sit solido fundamento innixa, ut peculiarem tractationem mereatur. Si ita res se habeat, petitionem admittat: aliter decreto suo eam reiiciat.

§ 2. Si vero iudicet causam propositam non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat ut de ea ratio habeatur die propositionis causae principalis.

Can. 1840: causae incidentis pertractatio et definitio.

§ 1. In decreto quo causam incidentem admittit, iudex unicus vel tribunal collegiale statuatur utrum ipsa, attenta eius natura et gravitate, solven-

da sit servata forma iudicii per interlocutoriam sententiam, an, non servata forma iudicii, per merum decretum: quae decisio inappellabilis est.

§ 2. Si quaestio incidens per sententiam solvi debeat, concordentur dubia, et eae servantur regulae quae de causa principali statutae sunt, exceptis terminis, qui praefiniantur brevissimi.

§ 3. Si vero decernatur solutio per decretum, poterit eadem decisio committi praesidi vel instructori.

Can. 1841: de revocatione vel reformatione decisionis interlocutoriae.

Antequam finiatur causa principalis, iudex vel tribunal qui interlocutoriam decisionem tulerat, potest, iusta intercedente ratione, eandem revocare aut reformare sive ad instantiam, sive ex officio, auditis semper partibus et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi ».

Examinantur singuli canones:

Can. 1837

Rev.mus octavus Consultor proponit: «... a partibus *vel ab aliis quorum interest* proponitur quaestio, etc...».

Propositio omnibus placet.

Rev.mus quartus Consultor petit ut in canone clare appareat agi de quaestione, *quae in libello non contineatur*, ideo proponit: «... proponitur *alia* quaestio, cuius solutio etc.».

Sed Rev.mus tertius Consultor censet illud « *alia* » esse praeclusivum alius cuius quaestionis quae in libello forte *innuatur*, quod non videtur prudens. Hoc modo enim omnis quaestio in libello, etsi obiter, significata, numquam proponi posset tamquam causa incidens.

Suffragatur propositio Rev.mi quarti Consultoris:

Placet n. 2; non placet n. 6; se abinent a sententia ferenda n. 3.

Can. 1838

Rev.mus septimus Consultor duas emendationes proponit:

a) dicatur «... proponitur *scripto* vel ore...» loco «proponitur *per libellum* vel ore...».

Placet n. 9; non placet n. 2.

b) Supprimantur verba: «indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem...».

Propositio nemini placet.

Can. 1839

Circa § 1 sequentes emendationes proponuntur:

a) De verbis «*Iudex unicus vel tribunal collegiale*»: proponit Rev.mus sextus Consultor ut dicatur «*ponens*» loco «*tribunal collegiale*».

Sed Rev.mus octavus Consultor proponit ut per novum canonem edicatur quando facultas detur ponenti et quando intervenire debeat collegium.

Rev.mus septimus Consultor vero proponit ut dicatur «*Iudex*» simpliciter.

Suffragatur placeantne verba: «*Iudex unicus vel tribunal collegiale*».

Placet n. 7; non placet n. 3; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

b) Post verba «*et auditis partibus*» addantur haec verba: «*aliisque quorum interest*» (Rev.mi octavus, quintus et tertius Consultores):

Placet n. 8; non placet n. 3.

c) Omittantur verba: «*ita sit connexa iudicio ferendo vel lato*» (Rev.mi primus, quartus et septimus Consultores).

Placet n. 4; non placet n. 7.

d) Dicatur: «*...decreto petitionem admittat; aliter eam reiiciat*» (Rev.mus quartus Consultor).

Placet n. 9; non placet n. 2.

Circa § 2 sequentes emendationes proponuntur:

a) Supprimatur quia est superflua (Rev.mi tertius et septimus Consultores).

Propositio non placet Consultoribus.

b) Dicatur «*quaestionem incidentem*» loco «*causam propositam*» (Rev.mus quintus Consultor).

Placet n. 9; non placet n. 1; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

c) De ultimis verbis «*... dies propositionis causae principalis*», diversae emendationes proponuntur: «*proxime ante sententiam definitivam*» (Rev.mi primus, secundus, nonus et sextus Consultores); «*ante sententiam definitivam*» (Rev.mus octavus Consultor); «*in sententia definitiva conficienda*» (Rev.mus septimus Consultor); «*die propositionis et definitionis causae principalis*» (Rev.mus quintus Consultor).

Sumitur propositio Rev.mi quinti Consultoris de qua haec suffragia habentur:

Placet n. 9; non placet n. 2.

Adunatio VII^a
die 17 octobris 1968 vespere habita

Can. 1840

§ 1:

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittantur verba « non servata forma iudicii ».

Propositio omnibus placet.

Rev.mus nonus Consultor proponit ut omittatur verbum « merum ».

Propositio omnibus placet.

Rev.mi quartus et septimus Consultores censent non esse necessarium *decretum* quo iudex admittat causam incidentem, quapropter Rev.mus Relator proponit ut § 1 ita redigatur:

« Iudex unicus vel tribunal collegiale, cum causam incidentem admittit, statuatur utrum ipsa, etc... ».

Propositio omnibus placet.

§ 2:

Rev.mus sextus Consultor laxamentum aliquod dare vellet huic normae per verba « servantur, *quoad fieri potest*, regulae quae, etc. ».

Sed propositio maiori parti Consultorum non placet (placet n. 4; non placet n. 7).

§ 3:

Rev.mus Relator melius redigit formulam § 3, quam proponit coetui ut suffragetur:

« Si vero ad normam § 1 decernatur solutio per decretum, haec definitio a iudice vel tribunali committi poterit instructori vel Praesidi ».

Placet n. 6; non placet n. 1; placet iuxta modum n. 3.

1^{us} Modus: supprimantur verba « a iudice vel a tribunali » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet n. 2; non placet n. 9.

2^{us} Modus: omittatur verbum « instructori » (Rev.mus nonus Consultor):

Placet n. 1; non placet n. 10.

3^{us} Modus: dicatur « ... committi poterit vel Praesidi, vel ponenti, vel instructori » (Rev.mus sextus Consultor):

Placet n. 4; non placet n. 5; se abinent a sententia ferenda n. 2.

Can. 1841

Post aliquam discussionem Rev.mus Relator perpolit suam formulam his verbis:

«Antequam finiatur causa principalis iudex vel tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad instantiam, sive ex officio, auditis partibus et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi».

Placet omnibus.

Deinde resumitur quaestio de contumacia et Rev.mus Relator proponit ut examinentur canones prout propositi in sua relatione.

Sed Rev.mus tertius Consultor animadvertit illos canones redactos fuisse a Rev.mo Relatore antequam a Coetu nostro deliberatum sit conceptum contumaciae renovandum esse funditus. Opportunum ergo censet Rev.mus tertius Consultor ut novum schema canonum redigatur ad mentem eorum quae dicta sunt de contumacia.

Propositio Rev.mi tertii Consultoris placet omnibus, ideoque constituitur parva Commissio (Rev.mi Secretarius, Relator, secundus, tertius, octavus et nonus Consultores) ad illos canones redigendos.

Adunatio VII^a die 18 octobris 1968 mane habita

Omnibus Consultoribus praebetur schema canonum de contumacia, a parva Commissione redactum:

«*Can. 1842*

§ 1. Pars conventa legitime citata quae sine iusta causa nec ipsa per se nec per procuratorem compareat, iterum citetur, nisi ipsa expresse declaraverit se nolle ullam partem in iudicio habere.

§ 2. Si post secundam citationem pars conventa non comparuerit nec sufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex ex officio vel ad instantiam partis decernat ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem procedat.

Can. 1846

§ 1. Si pars conventa dein in iudicio se sistat ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

§ 2. Si pars tantum post latam sententiam comparuerit, appellare potest; si vero ostenderit se legitimo impedimento antea detentam fuisse, ipsi suppetit querela nullitatis.

Can. 1849

Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque compa-
ruerit neque ullam vel sufficientem absentiae excusationem attulerit:

1° Iudex eum citet iterum;

2° Si actor novae citationi non paruerit, praesumitur instantiae renun-
tiasse, cum iuris effectibus, nisi conventus vel promotor iustitiae aut vincu-
li defensor instantiam suam faciant eamque iure sui officii prosequantur.

3° Quodsi postea in processum intervenire velit, servetur can. 1846.

Can. 1851

§ 1. Pars absens, sive actor sive conventus, qui iustum impedimentum
non comprobaverit, tenetur obligatione tum solvendi litis expensas, quae
ob suam absentiam factae sunt, tum etiam, si opus sit, indemnitatem alte-
ri parti praestandi.

§ 2. Si tum actor tum reus fuerint absentes, ipsi obligatione expensas
litis solvendi tenentur in solidum ».

Examinantur singuli canones:

Can. 1842 (in quo absorpti sunt canones 1842, 1843, 1844 CIC)⁵

Omnibus placet.

Can. 1846 (in quo absorpti sunt canones 1846 et 1847 CIC)

§ 1. Omnibus placet.

De § 2 vero sequentes quaestiones habentur:

Rev.mus primus Consultor vellet ut parti, quae ostenderit se legitimo
impedimento antea detentam fuisse, suppetat non tantum querela nullita-
tis, sed etiam restitutio in integrum.

Sed Rev.mus Relator respondit in casu non dari locum restitutioni in
integrum quia sententia vitio nullitatis laborat, ideoque sufficit remedium
querelae nullitatis.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in § 2 determinetur tempus in-
fra quod pars appellare possit vel querelam nullitatis intentare.

Rev.mus Relator censet quaestionem solvi posse per verba «ad normam
iuris», sed Rev.mus sextus Consultor notat in casu haberi aliquam benignita-
tem iuris erga partem quae absens fuit, quapropter termini protrahendi essent.

Rev.mus Relator proponit ut formula compleatur hoc modo:

⁵ N.B.: De canone 1845 CIC omnibus placet ut supprimatur.

« Si pars tantum post latam sententiam comparuerit, *ad normam iuris* appellare potest; si vero ostendit se legitimo impedimento antea detentam fuisse, ipsi suppetit querela nullitatis *intra tres menses proponenda*».

Suffragatur haec formula § 2:

Placet n. 10; placet iuxta modum n. 1.

Modus: Rev.mus sextus Consultor vellet suppressere verba «intra tres menses proponenda», ita ut quaestio non praeiudicata maneat et de ipsa sermo fiat in canonibus «de querela nullitatis contra sententiam».⁶

Can. 1849⁷

Rev.mus quartus Consultor nollet concedere actori absenti beneficium novae citationis, ob suam negligentiam.

Sed Rev.mus Relator dicit non semper absentiam tribuendam esse negligentiae et ideo opportunum est illum beneficium concedere.

Suffragatur canon placeatne:

Placet omnibus.

Can. 1851

Rev.mus sextus Consultor suppressere vellet § 2, ne partes obligatione expensas litis solvendi teneantur *in solidum*. Hoc enim, dicit Rev.mus sextus Consultor, onerosum est pro parte quae de facto solvit.

Sed alii Consultores non consentiunt cum Rev.mo sexto Consultore.

Rev.mus septimus Consultor vellet totum canonem suppressere quia Ecclesia, suo iudicio, abstinere deberet a rebus pecuniariis pertractandis, sine necessitate.⁸

Suffragatur canon placeatne:

Placet n. 10; non placet n. 1.

⁶ N.B.: De canone 1848 CIC omnibus Consultoribus placet ut supprimatur.

⁷ N.B.: In praesenti canone absorpti sunt canones 1849 et 1850 CIC, et casus absentiae actoris solvitur e praesumpta renuntiatione actoris, suppressa declaratione contumaciae actoris. In istis casibus enim fere semper instantia perimitur et declaratio esset machinatio indagatoria et inutile artificium (Rev.mus Relator).

⁸ Rev.mus septimus Consultor petit ut referatur in actis haec nota: «Meo iudicio prorsus repugnat Ecclesiae Christi sese in rebus pecuniariis sine necessitate immisceri. Etenim expensae de quibus in hoc canone *aut* debentur ex contractu (e.gr. avvocato, perito), *aut* ex ipsa lite (e.g. expensae tribunalis). Sed expensae ex contractu debitae debent urgeri ab ipso contrahente, sive privatim, sive coram iudice civili, si opus sit. Expensae vero ex ipsa lite debitae utique a parte possunt suaviter exquiri, sed repugnat eas coram tribunali sive civili sive ecclesiastico urgere. Ergo de hoc in iure ecclesiastico nefas est agere».

ART. II – *De interventu tertii in causa*

Rev.mi Relator, secundus, tertius, octavus et nonus Consultores, una cum Rev.mo Secretario, qui paraverunt schema canonum de contumacia, etiam canones de interventu tertii in causa reviserunt, quos praebent ceteris Consultoribus:

«Can. 1852

§ 1. Is cuius interest admitti potest ad interveniendum in causa, in quolibet litis instantia, sive ut pars quae proprium ius defendit ad litigantem excludendum, sive accessorie ad aliquem litigantem adiuvandum.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstrat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

Can. 1853

Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis, vel etiam ex officio, consentientibus tamen partibus, debet interventum in causa iubere ».

Examinantur singuli canones:

Can. 1852

Rev.mus sextus Consultor proponit ut in § 1 dicatur «ad litigantes excludendos» loco «ad litigantem excludendum».

Tunc Rev.mus Relator proponit: «... ad litigantem vel litigantes excludendos...».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Quoad § 2 Rev.mus quartus Consultor animadvertit interventum tertii in causa aequiparari causae incidenti, ideo terminos ampliandos esse, ita ut interventum tertii, sicut et causa incidens, haberi possit etiam post latam sententiam.

Sed Rev.mi Relator et octavus Consultor dicunt quod de oppositione tertii contra sententiam suo loco canones habentur (cann. 1898-1901); tamen ut obveniri possit casui interventus tertii post conclusionem in causa, addi posset in § 2 haec clausula: «salvo praescripto can. 1861 », qua tertius interveniens aequiparatur parti, ut de ipso ratio habeatur uti pars.

Propositio Rev.morum Relatoris et octavi Consultoris omnibus placet.

Tandem Rev.mus septimus Consultor in § 3 vellet suppressionem verbi «peremptorio», sed propositio non placet Consultoribus.

Suffragatur placeatne can.1852 cum mutationibus inductis in §§ 1 et 2: Placet n. 10; non placet n. 1.

**Adunatio IX^a
die 19 octobris 1968 mane habita**

Can. 1853

Rev.mus sextus Consultor censet quod iudex, in causis de bono publico, potest ex officio interventum tertii iubere etiam non consentientibus partibus, ideo proponit: «auditis tamen partibus» loco «consentientibus tamen partibus».

Rev.mus octavus Consultor animadvertit quod si partes dissentiant, inductio tertii in causa esset attentatum, cum Codex, in notione attentati, non distinguat inter bonum publicum et bonum privatum.

Sed Rev.mus Secretarius dicit quod propositio Rev.mi sexti Consultoris acceptari potest et in canonibus de attentatis fiet illa diversa condicio boni publici et boni privati relate ad attentatum lite pendente.

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

ART. III – De attentatis lite pendente

Can. 1854 de notione attentati

Rev.mus Relator dicit quod attentatum est incidens processuale, est stadium aliquod, non necessarium, sed possibile in itinere iudiciario, ideo eius notio hic dari debet, etsi fiet liber *De verborum significatione*.

Rev.mus Relator refert de formula quam proponit Rev.mus octavus Consultor in suo voto, scilicet:

«Attentatum est actus unius partis adversum alteram vel iudicis adversus alterutram vel utramque partem, lite pendente, quo eius iudicialis condicio peior redditur, parte dissentiente, salvo praescripto cann. 1672, 1673».

Rev.mus Relator concordat quoad abolitionem alterius partis can.: «sive innovatio respiciat litis materiam, sive terminos assignatos...». Et hoc quia forsitan cogitari potest aliquod attentatum, quod maneat extra duas species expressas.

Item concordat quod attentatum definiatur «actus», et non «quidquid», sicuti in praesens.

Tamen Rev.mus Relator dubitat de nova formula duabus de rationibus:

1. quod non contineat conceptum « innovationis », suo iudicio necessarium ad habendum attentatum;

2. quod consideret tantum « condicionem *iudicialem* » partis litigantis. Ita, ex. gr. translatio proprietatis rerum litigiosarum per se non reddit peiorem condicionem iudicialem, sed practicam. Et est attentatum.

His dictis Rev.mus Relator proponit formulam, quae minus sapit definitionem, quae assumit elementa valida ex Rev.mo octavo Consultore, et quae substantiam instituti non relinquit:

« Habetur attentatum, quando ab una parte adversus alteram, vel a iudice adversus alterutram vel utramque partem, lite pendente, ponitur actus quo aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, (sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia), salvo praescripto cann. 1672-1673 ».

Circa hanc formulam Rev.mi Relatoris aliquae emendationes proponuntur:

a) Dicatur « Attentatum est... », loco « habetur attentatum » (Rev.mi tertius, quartus, octavus, nonus et sextus Consultores).

Alii Consultores concordant.

b) Loco « actus quo... » dicatur « laesio iuris » (Rev.mi tertius, quartus et septimus Consultores), vel « quidquid », qui includit etiam omissiones (Rev.mus primus Consultor).

Sed alii Consultores non admittunt tales emendationes:

– nolunt verbum « quidquid » quia non valet ratio adducta de attentato per omissionem. Attentatum enim fit per actum positivum;

– nolunt locutionem « laesio iuris », quia attentatum haberi potest etiam sine laesione iuris, ex. gr. cum pars domicilium mutat in praeiudicium partis.

Rev.mus Relator formulam ita expolitam proponit:

« Attentatum est actus quo, pendente lite, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia, salvis praescriptis cann. 1618, 1672, 1673 ».

Suffragatur haec formula:

Placet n. 8; non placet n. 1; placet iuxta modum n. 2.

Modus: dicatur « ... aliquid in iudicio innovatur... »:

Placet n. 3; non placet n. 8.

Can 1855

§ 1. Omnibus placet ut maneat prouti est in Codice.

§ 2. Omnibus, exceptis Rev.mis primo et tertio Consultoribus, placet ut supprimatur, quia superflua, seu potius ut incorporetur in § 3, quae fit § 2.

§ 3. Rev.mus Relator accedit ad animadversionem Rev.mi octavi Consultoris, quod nempe iure vigenti iudex potest iudicare de attentato a seipso commisso, quod non est congruum. Insuper machinatio exceptionis suspicionis est indagiosa. Unde melius valet praesumere suspectum iudicem attentatorem, et quaestionem devolvere ad tribunal appellationis.

Rev.mus quartus Consultor censet quod talis devolutio ad tribunal appellationis in aliquibus locis gravis evadit, cum tale tribunal longinquum sit.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam, quae, omnibus Consultoribus placet:

« Si attentatum a parte patratum fuit, actio ad attentati nullitatem declarandam instituenda est coram ipso iudice causae principalis; si a iudice, coram tribunali appellationis ».

Can. 1856

Omnibus placet formula can. 380 Codicis Orientalis, in qua ommissa sunt verba: « et promotore iustitiae et defensore vinculi, si iudicio intersint » (cfr. can. 64 Cod. Orient., et can. 1587 bis a nobis recognitum).

En formula can. 380 Codicis Orientalis:

« § 1. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, sed si iudici opportunius videatur, quaestio de attentato potest una cum causa principali retractari et resolvi.

§ 2. Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus.

Can. 1857

§ 1. Omnibus placet ut maneat prout est.

§ 2. Consultores omnes petunt suppressionem huius §, sicuti factum est in Codice Orientali, sed votum faciunt ut alibi, ex. gr. ubi de iuribus personarum in Ecclesia, agatur de reparatione damnorum.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

ART. IV – *De peritis*

Can. 1797.

Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto, *etiam proponente parte*, eorum examen et votum, praeceptis artis vel scientiae innixum, requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 1798

§ 1. Iudicis est peritos designare vel approbare.

§ 2. Designatio peritorum fit a iudice, auditis vel proponentibus partibus et etiam promotore iustitiae vel defensore vinculi, si iudicio intersint.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

Can. 1799

§ 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur qui competenti auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1766, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.

Can. 1800

§ 1. Easdem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.

§ 2. Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.

Can. 1801

§ 1. Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi *vel formali declaratione* de munere fideliter implendo.

§ 2. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi *vel declarationi periti*, sed etiam executioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuatur.

Can. 1802

Post acceptationem muneris, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa executionem defugiant, tenentur damnorum.

Can. 1803

§ 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exequendum.

§ 3. Tempus intra quod examen perficiendum est et relationem proferendam, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.

Can. 1804

§ 1. Peritus, praesertim si relationem suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.

§ 2. Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis conclusiones ab ipsis prolatae nitantur.

Can. 1805

Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.

Can. 1806

§ 1. Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere, aut novam peritiam a prioribus peritis communi consilio conficiendam decernere.

§ 2. Quoties periti post designationem in suspicionem inciderint, vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint, eadem norma servanda est a iudice.

Can. 1807

§ 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordēs, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 1808

Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo iure recursus ad normam can. 1913, § 1.

ART. V – *De accessu et de recognitione iudiciali*

Can. 1809

§ 1. Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

§ 2. Si iudex iusserit ut pars vel tertius rem tribunali exhiberet, parte vel tertio recusante, servetur praescriptum iuris civilis de parte recusante, ad normam can. 1762.

Can. 1810

Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudiciali, recognitioni intersint.

Can. 1811

Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad plenior probacionem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit. Potest quoque peritos adhibere.

Can. 1812

§ 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.

§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscribant.

ART. VI – *De praesumptionibus**Can. 1813*

§ 1. Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

Can. 1814

Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

Can. 1815

Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio, nisi iudex ad normam can. 1618 probationes ipse supplet.

Can. 1816

Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.

Can. 1817

Iudex attendat quoque indicia, quae si habeantur intime inter se cohaerentia neque aequivoca, ad probationem constituendam multum conferre possunt.

ART. VII – *De iureiurando partium**Can. 1818*

Sicubi iusiurandum suppletorium, aestimatorium aut decisorium adhuc utiliter adhibentur, disciplina hucusque vigens servari poterit, facta Conferentiae episcopali facultate eandem disciplinam adiunctis loci aptius et penitius accommodandi.

CAPUT VI – *De causis incidentibus**Can. 1837*

Quoties oblato saltem libello litis introductorio, a partibus vel ab aliis quorum interest proponitur quaestio, cuius solutio momentum habeat relate ad sententiam definitivam pronuntiandam, vel ad eandem sententiam executioni mandandam, locus fieri potest causae incidenti.

Can. 1838

Causa incidens proponitur scripto vel ore, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

Can. 1839

§ 1. Iudex unicus vel tribunal collegiale, recepta petitione et auditis partibus aliisque quorum interest, examinare debet utrum proposita causa incidens ita sit connexa iudicio ferendo vel lato, et ita sit solido fundamento innixa, ut peculiarem tractationem mereatur. Si ita res se habeat, decreto petitionem admittat: aliter eam reiiciat.

§ 2. Si vero iudicet quaestionem incidentem non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat ut de ea ratio habeatur die propositionis et definitionis causae principalis.

Can. 1840

§ 1. Iudex unicus vel tribunal collegiale cum causam incidentem admittit, statuatur utrum ipsa, attenta eius natura et gravitate, solvenda sit servata forma iudicii per interlocutoriam sententiam, an per decretum: quae decisio inappellabilis est.

§ 2. Si quaestio incidens per sententiam solvi debeat, concordentur dubia, et eae servantur regulae quae de causa principali statutae sunt, exceptis terminis, qui praefiniantur brevissimi.

§ 3. Si vero ad normam § 1 decernatur solutio per decretum, haec definitio a iudice vel tribunali committi poterit instructori vel Praesidi.

Can. 1841

Antequam finiatur causa principalis iudex vel tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad instantiam, sive ex officio, auditis partibus et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi.

ART. 1 – *De absentia partis conventae vel actoris**Can. 1842*

§ 1. Pars conventa legitime citata quae sine iusta causa nec ipsa per se nec per procuratorem compareat, iterum citetur, nisi ipsa expresse declaraverit se nolle ullam partem in iudicio habere.

§ 2. Si post secundam citationem pars conventa non comparuerit nec sufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex ex officio vel ad instantiam partis decernat ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem procedat.

Can. 1846

§ 1. Si pars conventa dein in iudicio se sistat ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

§ 2. Si pars tantum post latam sententiam comparuerit, ad normam iuris appellare potest; si vero ostenderit se legitimo impedimento antea detentam fuisse ipsi suppetit querela nullitatis, intra tres menses proponenda.

Can. 1849

Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque comparuerit neque ullam vel sufficientem absentiae excusationem attulerit:

1° Iudex eum citet iterum;

2° Si actor novae citationi non paruerit, praesumitur instantiae renuntiasset, cum iuris effectibus, nisi conventus vel promotor iustitiae aut vinculi defensor instantiam suam faciant eamque iure sui officii prosequantur.

3° Quodsi postea in processum intervenire velit, servetur canon 1846.

Can. 1851

§ 1. Pars absens, sive actor sive conventus, qui iustum impedimentum non comprobaverit, tenetur obligatione tum solvendi litis expensas, quae ob suam absentiam factae sunt, tum etiam, si opus sit, indemnitatem alteri parti praestandi.

§ 2. Si tum actor tum reus fuerint absentes, ipsi obligatione expensas litis solvendi tenentur in solidum.

ART. 2 – *De interventu tertii in causa**Can. 1852*

§ 1. Is cuius interest admitti potest ad interveniendum in causa, in qualibet litis instantia, sive ut pars quae proprium ius defendit ad litigantem vel litigantes excludendos, sive accessorie ad aliquem litigantem adiuvandum.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstret, salvo praescripto can. 1861 § 1.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

Can. 1853

Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis, vel etiam ex officio, auditis tamen partibus, debet interventum in causa iubere.

ART. 3 – *De attentatis lite pendente*

Can. 1854

Attentatum est actus quo, pendente lite, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia, salvis praescriptis cann. 1618, 1672, 1673.

Can. 1855

§ 1. Attentata sunt ipso iure nulla.

§ 2. Si attentatum a parte patratum fuit, actio ad attentati nullitatem declarandam instituenda est coram ipso iudice causae principalis; si a iudice, coram tribunali appellationis.

Can. 1856

§ 1. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur, sed si iudici opportunius videatur, quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi.

§ 2. Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus.

Can. 1857

Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.

